



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cor Deo Devotum Jesu Pacifici Salomonis Thronus Regius,  
Seu Meditatiunculae Exquisitissimæ**

**Luzvic, Étienne**

**Coloniæ, 1729**

Parthenicis Mariæ Sodalibus Xenium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60085)



*Parthenicis MARIÆ Sodalibus  
Xenium.*

**S**ole annum cursum ineunte [ quod mihi solemne, & propè jam usu est tritum] ad vestros lares redeo, Sodales Mariani, ut simul vos sanctiorem magnæ Parentis familiam officiosè consalutem, simul levidense saltem, & pauperis munusculo pro strenâ donem. Obtuli annis superioribus *aureum eternitatis annulum, Christianæ Philosophiæ medullam, Liliū Marianum*: adfero nunc pati studio in parvo codice **J**ESUM Cordis humani cupidissimum amatorem, aurei istius annuli nobilem gemmam, Philosophicæ medullæ, medullam, (a) *Liliū corvalliū*: quo sanè *Xenio* nihil mihi, vobisque optatius

† 2

potu-

(a) *Cap. 2.*

*Parthenicis Maria*

potuit obtingere: quâ enim causâ fieri existimamus, ut Januarii Kalendas aureum JESU nomen, divinique hujus Nominis radii sua luce collustrent (quod præfagisse Psaltes mihi visus est eo carmine [a] *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*) nisi ut ex ea reintelligeremus, nefas jam esse alio, quàm JESU nomine diem, annumque aut ominari, aut auspicari.

Exhibebit autem vobis hic Libellus primò Jesum Cor hominis è Mundi, Carnis, Diabolique retibus vindicare parantem, pulsantem Cordis fores, vix ingressum, omnes angulos perscrutantem, vitiorum sordes evertentem, aperientem divinæ gratiæ fontes, lustralique sui cruoris imbre expiantem. Quid verò tum JESUS postea! hic jam velut in Throno Regio juradicit, hic tanquam in cœlesti Lycæo docet, hic ceu in nuda, rudique tabella Novissimorum imagines efformat, huc crucem, & spinas infert; huc rosas, & lilia adspergit: satisne? Ad extremum in corde expurgato, ex-  
orna-

(a) *Psal. 64.*

ornatoque ludit, saltat, dormit, pugnat, vincit, triumphat Victoris JESU Sanctus amor. Habetis summam quamnam ego vobis, *Parthenici Sodales*, auspicali hoc die boni omnis causa strenam donem Mariæ alumnis, Matris delicias; Pugilibus in Societatis JESU palæstra exercitis, JESUM Agonothetam, & bravium. Scio, & ne ego plagiarius sim, si dissimulem, hunc alterius parentis fœtum mihi primùm suam lucem minime debere: sed tamen aliquid est fortassis, quòd ab Authore Gallicâ togâ vestitum, ego [ ut vester omnium familiaris, & quodammodo vernaculus esset ] Romanâ prætextâ, atque (si placet) etiam Latinorum jure donarim: quod factum meum, si exile videbitur, meminisse vos velim, quæ amicis aut hospitibus mittebantur Apophoreta, ova, caseum, piper, caricæ, melimela fuisse, quibus non tam donum, quàm voluntas pretium daret: quòd si non tam à styli exilitate, quam à rei ipsius præstantia munus meum expenditis, primùm gratias ha-

*Parthenicis Mariae Sodalibus Xenium.*

beo, quòd me propensè amatis, tum à  
vobis enixe effugio; ut labore meo  
qualicumque plurimum uti, frui velicis.  
Ita [libet enim voto concludere] in JESU  
amoribus ac deliciis vivite, Valete.

*Servorum Virginis servus  
infimus.*

CAROLUS MUSART,  
de Societate JESU.

Paræ.